

Disquisitionum practicarum
gymnasma vicesimum
quartum, quaestiones circa
fo...

Wanochius, Andreas Jacobi,

11 Ae 8:o



DISQV I S I T I O N U M
P R A C T I C A R U M

ΤΥΜΝΑΣΜΑ VICESIMUM QVARTUM,
Qvæstiones circa Fortitudinem occurrant-
tes, eiqve affines, præsertim vero de
αὐτοθρασύᾳ, casibusq; nonnullis eam sva-
lentibus, nec non de fortitudine *Marty-*
rum, &c. examinans; quas demum
concludit Sectio *ἀξιωματικὴ*;

BENEDICENTE DEO!

*Consentiente Ampliff. Facultate Philosophica
In Regia Academia Aboënsi,*
P R Æ S I D E

M. AND. WANOCHIC,
Philos. Pract. & Histor. Profess. Ord.
h. a. Reg. Stipend. Inspect.

RESPONDENTE

PETRO P. BERGIO,

*Sub incudem examinis publici
revocandum*

In Auditorio Super. ad diem xxix. Oct.
M. DC. LXXXVII.

Impr. apud JOH. WALLIUM, A. T,

*Plurimum Reverendis, Clarissimis, Venerandis
& Doctissimis Dominis,*

DN. M. PETRO A. BERGIO,
antehac Lingvarum Orientalium Pro-
fessori, in Regia Academia Aboënsi ce-
leberrimo, nunc vero Districtus We-
moënsis Præposito dignissimo, nec non
Pastori Ecclesiarum Töffsalensium lon-
gè meritissimo, parenti suo reveren-
ter suspiciendo.

DN. M. CHRISTIANO WALSTENIO
Pastori in Wehmo vigilantissimo,
Evergetæ ac Consanguineo meo,
quovis honoris titulo colendo.

DN. JOHANNI HARCLERO,
Pastori in Roskrckia attentissimo,
Fautori debita observantia prose-
quendo.

DN. MATTHIÆ MANDRÆO,
Ecclesiæ, quæ in Soctalar colligitur,
Pastori sincera gratitudine hono-
rando.

*Dissertatiunculam hanc in debita grati-
tudinis & observantia tenuerunt
Reverentè, perofficiose
inscribit & offert*

P. BERGIUS

Ad politissimum & Optima spei Juvenem,
Parentis de re litteraria & Ecclesia Dei
jam dudum egregie meriti, filium
charissimum,

DN. PETRUM P. BERGIUM,
Amicum, patriotam & commilitem
meum industrium, de Quæstionibus
Fortitudini affinis erudite
Disputantem,

πρὸς Φώνησις:

Forte putant multi Fortes, queis prodi-
ga vite

Mens est, queis Codri, queis animosa pla-
cent

Facta homicidarum: sed fortis nemo vo-
candus,

Cui non sit virtus cum ratione domi.

Ast cui martyrii sanctam mors seba co-
ronam

Offert, is CHRISTUM corde calente gerit

Fac nos martyrio dignos dulcissime JESU!

Te cor desiderat; Tu meus ignis, amor!!!

ANDR. WANOCCHIUS

*Pietatis, modestia, artiumq; liberalium cultori
indefesso, Ornatissimo Juveni,*

DN. PETRO PETRI BERGIO,

Germano Fratri sincere dilecto,

De FORTITUDINE publicè disputanti.

Dum Cathedram calcas, quam non
calcaveris ante,
Experiere fatis, quod dictum tempore
prisco:

Non minor est virtus, quam quærere,
parta tueri.

Ipse metū pelles quoq; viribus infidiantē
Prævalidis, Frater rutilus ut splendeat
armis?

Corporis haud, verum ingenii discrimi-
na tentas,

Intrepidoq; animo superare hic obvia
quæris.

Fortiter ut certes, o miles Apollinis alme,
Omnipotēs faxit, adsitq; decentib⁹ ausis,
Promoveat studia, ut possis pertingere
tandem,

Non minus in terris, quam cælo digna
brabea,

Præmia virtutis, quæ te facientq; beatū!

Hoc Schediasmate gratulari voluit

JOHANNES BERGIUS:

QVÆST. II.

An *αὐτόχειρες* sint fortes? &, an *αὐτοχειρία*, (proprium) sit ulla ratione licita? Neg. utr.

§. II.

Qvæstio prior a posterioris solutione dependet: ubi enim primum constiterit, (de abstracto) *αὐτοχειρία* esse ullo jure licitam - vel illicitam, facile quilibet judicabit, (de concreto) *αὐτόχειρες* esse vel non esse fortes; quod enim honestum est & licitum, id plane naturam virtutis exuere non potest. Primum itaque agendum de illa, an *αὐτοχειρία* sit ulla ratione concessa? Sed & hic I. notandum, quod *αὐτοχειρία* dupliciter committitur: (α) *Physice & moraliter simul*, cum quis *directe*, *formaliter*, & *immediate* causa est mortis suæ, inferendo sibi et ipsi violentas manus; quales & olim fuerunt *Saul*, *Rhazis*, *Cato*, *Judas Iscariotes*, *Nero*, *Themistocles*, *Lucretia*, *Cedrus*, *Curtius*, & hodiernum prope dolor, inveniuntur per plurimi: (β) *Moraliter*, cum quidem quis non *directe*, *immediate*, & *formaliter* influit in propriam necem,

manu vitam exhauriendo, facit tamen id
indirecte, materialiter & mediate, præ-
 fertim, vel dum naturalia activa passivis
 applicat, unde mortem oriri necesse est,
 vel dum, cum forte posset, non obstat.
 Hinc duo ejusmodi *αυτοξείπων* genera
 haud absurde cum aliis statuit D.D. Dan-
 haw. *aukt. moral. p. m. 601. (1.) Indirecte*
influentium, qui vel (a) per intemperan-
 tiam circa *cibum & potum*, de quibus
 Sir. xxxi. 24. aut circa *venere*, quod
 Gallo Prætorio, & T. Haterio equiti Rom.
 contigisse refert Valer. Max. Vide & Sir.
 xix. 3; aut denique per *immoderatum*
gaudium seu *merorem*, quorum exempla
 itidem suppeditat Valer. Max. sese confi-
 eunt. Vel (2.) *Non obstantium* cum ex
 facili possent, & ex jure deberent mor-
 tem avertere; cujusmodi sunt artis me-
 dicæ contemptores, milites temerarii, & au-
 dacali quivis, qui periculis semet ultro ob-
 jiciunt, iisque implicantur. Deinde II.
 notandum, Tò *licitum & concessum* pos-
 se intelligi, vel (1) de jure *divino*, quod
 æternum & morale est, vel jure *humano*,
 quod quatenus tale, temporarium est &
 civile; (2) *licitum & concessum* etiam
 aliquid

aliquid dicitur *de jure* & legitime, vel *de facto* & usurpative: (3) per justitiam *universalem* aut *particularem*: (4) de *nunc* & *semper*, aut *quandoque* & in nonnullis casibus.

§. III.

His ita positis, ipsi decisioni quædam exempla commode præmittuntur. (α) Tradit de *Gymnosophistis* Curtius lib. VIII. quod expectatam mortem pro dedecore vitæ habuerint. (β) Idem error *Stoicos* olim fascinavit, quem vitæ mortisque indifferentia iisdem forte peperit. *Neque interest multum*, inquit Seneca ep. LXIX. *mors ad nos veniat, an ad illam nos*. Vide Epictet. *dissert II. c. 16.* (γ) Plato quidem cum *Platoniceis* verant injussu Imperatoris ex hujus vitæ acie discedere. (teste Cicerone in *Somn. Scipion.*) si tamen quis sibi manus intulerit vel jussu magistratus, vel urgente quadam ac intolerabili necessitate, eum contumelia affici, ac damnari Plato non vult, *lib. ix. de LL.* Hi quidem fuerunt extra Ecclesiam, verbi revelati expertes. Sed in ipsa etiam prima Ecclesia fuerunt (δ) *Donatista* & *Circumcelliones*, qui circumibant passim,

& non solum docebant, licitum esse pro-
 pridium, sed & opus esse meriti, & spe-
 ciam martyrii, ac proinde semet ipsos
 suffocabant, igne exurebant, atque alios,
 ut se necerent, cogebant. August. *l. l.
 de Civ. Dei. c. 17. ad 28.* Sed de his infra.
 Quæ de nupera, in parte Mulcovia occi-
 dentalis, religionis tempestate ferunt, qua-
 si ingens hominum multitudo turmatim
 horrea stramentis repleta subeat, ignem-
 que, quo absumantur, succendat, ad aliud
 tempus aptius reservatur.

§. IV.

Nos *αυτοχειριαν* cum omnibus, quæ
 sana mens est, peccatum infernale pro-
 nunciamus, adeoque prorsus illicitam ju-
 dicamus: repugnat enim (a) JURI DIVI-
 NO, quod dicit, *non occides*; scilicet ali-
 um, aut temet ipsum: ut enim contra hoc
 præceptum peccat, qui occidit proximum,
 ita vel maxime, qui semet ipsum conficit;
 cum norma in Scripturis amandi pro-
 ximum constituatur amor sui ipsius, sal-
 tem ordinatus. (β) JURI NATURÆ; quia
αυτοχειριαν suam cuique non tribuit, ve-
 rum injustus est (γ) *in semetipsum*, dum
 se amore sui defraudat, & indemnatum
 occidit.

occidit: (a) *in Rempubicam*, quam alia quo membro politico invitam privat; (3) *in rerum naturam*, cujus ordinem invertit, dum destructionem conservacioni praefert; (4) quam maxime *in DEUM*, cujus dominium pulsar, ex quo nemo Dominus est membrorum suorum. (γ) **JURI GENTIUM**: quæ enim gens universali consensu in *αυτοχουεια* juravit? Stoici & alii veritatis turbines non gentem constituunt, sed familiam, aut veteris sectam. (δ) **JURI CIVILI**: Jure enim *Svec. Högm. b. §§. c. 4.* gravissime prohibetur, & ignominia, uti debet, notatur summa. Id aliarum rerump. leges, modo mediocriter sanæ, confirmant.

§. V.

Hæc ut ut ita se habeant, non tamen desunt, qui rem intricare gestiunt. Illam controversiam, quæ DD. Scholasticos hic intercedit, de *radice & ratione vitiositatis*, hic consulto præterimus: scilicet concedunt illi quidem *homicidium*, multo magis *proprium*, esse vitiosum, sed de prima ratione, unde vitiosum denominatur, non consentiunt; quibusdam illam quærentibus in *defectu justitie*, &

tia, aliis in *carentia caritatis*, nonnullis in *defectu fortitudinis*: nos existimamus & peccari contra *justitiam*, & contra *caritatem*, & *fortitudinem*, & denique illa omnia, quæ superiori §. sunt producta. Quid Lessius cum affectis contra punctum de *injustitia* ogganiat, exponunt alii. Sit ergo

Objectio (α) *Si homicidium est peccatum, erit vel maxime peccatum, in quantum justitia contrariatur: at sub hac ratione non est peccatum; quia justitia est ad alteram, & nemo potest sibi in seipsum injustitiam aliquam facere, Arist. l. V. Eth. 10. ἡ γὰρ δὴν ἀδικία πρὸς τὸ ἀλλότῳ ἀπὸ λῶς: item, quia justitia τῷ ἑτέρῳ πονᾷ, (alteri laborat) & homicidium non est peccatum.*

Respond. (α) καὶ ἀρνήσιω ad minorem; potest enim quis in semet ipsum esse injurius, si non *formaliter*, tamen *materialiter*; si non *strictè* loquendo de justitia particulari, tamen *late*, & quoque ad justitiam universalem, in comparatione ad DEUM & rem; non *proprie*, ut justitia particularis semper respiciat
alia

alia subiecta, aliaq; supposita; tamen *metaphorice*, ut in uno eodemque homine sit iustitia, unicuique parti seu facultati suum adtribuens. (β) Licet *ἀδικία* secundum Aristot. sit ad alterum, tamen an homo, semet ipsum occidendo, non possit inducere, secundum diversos respectus duplicem personam, viderint sapientes.

Object. (β) *Homo est dominus actionum suarum civilium. E. habet potestatem vitæ necisque in semet ipsum.*

Resp: (α) κατὰ συνκρίσιν, hominem esse dominum actionum suarum civilium particularem & proximum. (β) κατ' ἄρσιν, eum non esse dominum earundem dominio *absoluto, eminenti & independenti*; verum *restricto ad jus divinum, subordinato & dependenti.* (γ) Plus est in conclusione, quam in præmissis: homo est dominus actionum suarum civilium; ergo & vitæ & necis! more Carico.

Object. (γ) *Potest quis amputare membrum in discrimine vitæ, ut totum corpus servetur; E. & vitam sibi adimere in casu magis periculoso, quam est amissio vitæ.*

Resp. (α) Hoc simile est plane dissimile; aliud enim est amputatio alicujus

membrum propter conservationem totius, aliud ademptio totius vitæ propter destructionem ejusdem. (β) Licet abscindere membrum, sed a chirurgo damnatum, putridum scilicet & corruptum, quod *δυναμικὸν* est membrum.

Object. (δ) *Licet summa potestate prædito malefactores interficere; E. licet malefactori Judici semetipsum quoque occidere,*

Resp. negatur consequentia: nemo enim sui ipsius esse potest iudex; hinc non licet supremam potestatem habenti se occidere, verum illius iudicio se committere, qui est superior. *Sed dicit, Neronem, fere totius orbis Imperatorem, se superiorem in foro soli non habuisse; idcirco eum jure de malefactis a se panam exegisse.* Resp. Nero, qui in terris se superiorem ratione *δυναμικὸν* (NON *ἐξουσιῶν*) non habuit; expectasse debuit Judicem coelestem, supremum, omnipotentem. Dixi, non ratione *ἐξουσιῶν*, ad discrimen *τῆς δυναμικῆς*: *ἐξουσία* namque jus, *δύναμις* vim vitesque notat.

Object. (ε) *Homo est dominus bonorum fortuna, propter vitam. E. multo magis ipseus vita.*

Resp.

Resp. Tertium comparationis, quod est dominium, non inest utriusque, vitæ & fortunæ: & in ejusmodi casu argumentum, canonum (Propter quod unumquodque tale est, illud magis tale est) superstruendum non procedit.

Object. (ξ) Si quis audacter magis quam pie objiceret exemplum DOMINI, qui ipse ἀφ᾽ ἑαυτοῦ τὸ πνεῦμα ἐξ Matth. XXVII 50. Vide Joh. x. 17. 18.

Resp. (α) ἀπεροδιούσως huc trahitur exemplum CHRISTI, qui est DEUS in secula benedictus! adeoque Dominus vitæ suæ; ob cuius Domini defectum ἀνόμοιοι peccant. (β) Quando de ἀνόμοιοις quæritur, fit id tantum in ordine ad homines, non in ordine ad DEUM & Θεάνθρωπον, cuius pedibus omnia subiecta sunt. Psal. VIII. 7.

Object. (η) Samson (si Augustino lib. I. Civ. DEI c. 21. & 26. fides habenda:) cui spiritus S. latenter iussit, cum sui interuisione opprimere Philistæos; suo exemplo confirmat ἀνόμοιοις. Jud. XVI.

Resp. (α) Petitur hic τὸ ἐν ἀρχῆς nihil.

hil enim minus Samson intendebat, quam ἀντοχειρίαν; quin potius tanquam vir fortis, eventu Deo commisso, & fide in Eum coniecta, Heb. XI. 32. imo fretus rerum ante feliciter gestarum successu, speravit se hostes ulturum ac evasurum; quemadmodum & orat Jud. XVI. 28. Sin vero secus evenerit, dicit, v. 30. *moriatur anima mea cum Philistæis.* Unde constat (β) hoc fuisse factum fortitudinis, & quidem extraordinarium ac heroicum, cum vera fortitudo essentialiter consistat (1) in propulsatione mortis bellicæ cum victoriæ fiducia conjuncta; (2) in ejusdem tolerantia, si quid humanitus acciderit.

Object. (δ) *Rhazis dicitur ευγενῶς, generose, maluisse mori incumbendo in gladium, quam peccatoribus subditus fieri.* E.

Resp. (α) Rhazis procul dubio, ut cum B. D. Dannhawero loquar, Stoica Philosophia motus, (hæc enim secta apud Judæos sequiores multa fuit) se peremit viriliter potius ac nobiliter. (β) *ευγενῶς, seu generose, dicitur obiisse Rhazis non tam κατ' ἀλήθειαν, quam κατὰ δόξαν,*
illo

illo scilicet nobilitatis genere, (ut iterum ait laudatus Doctor) quo, ut Augustinus loquitur *l. I. de C. D. c. 21.* gentiles suos viros fortes laudant.

§. VI.

Ostensa itaque sic ἀνοχηρίας turpitudine, ultro consequitur, suicidas non esse fortes: quia, *Q. legem divinam, naturæ, gentium & civilem violant, sunt simul meticulosi, (perculsi metu gravioris mali) impatientes, imprudentes, desperantes; illi fortes dicendi non sunt: Propriocida vel ἀνοχηρες. E.* De salute ἀνοχηρίων aeterna controversant Theologi, distinguentes inter ἀνοχηρίαν veram & propriam, de qua in quaestione egimus, & apparentem ac impropiam; quæ licet in se propriicidium non sit, tamen esse putatur; ut quorundam Martyrum, & Samsonis, de quo August. loco supra allegato sic: *Samson excusatur, quod se ipsum cum hostibus ruina domus oppresserit, quia Spiritus latenter hoc jusserat, qui per illum miracula faciebat.* Solent & distinguere inter ἀνοχηρες ratione destitutos ac mente captos, & mentis compotes.

§. VII.

Affinis hisce superioribus est quaestio, *An liceat ad propriam mortem cooperari?* ubi non quaeritur (a) de *quavis* pena etiam leviori, qualis exilium, carcer &c. neque (β) de *preparatoriis* ad mortem auxiliis, ut cum fur ascendit scalam: sed (γ) de *cooperatione* ad mortem ipsam. Exempli loco ponit B. D. Dannhaverus: *An confor damnatus ad sanguinis ex omnibus venis emissionem, sine peccato possit hoc supplicium de se capere, num cogatur imperitiam carnificis expectare?* Prius affirmant Stoici, quemadmodum illorum hac etiam in parte præco, Seneca, testatur, ep. 70. quam vide. Hinc sub persecutoribus ecclesiæ, Tiberio, Nerone, Domitiano usitatum erat, mittere tribunum (verba sunt Dannhaveri) aut Centurionem, & extremam necessitatem denunciare: si quis pareret & mortem occuparet, manebant testamenta, iusta funeris, pretium, ait Tacitus, *festinandi*; sin autem moraretur, imminebat carcer, carnifex, gemoniæ, fiscus. Ita Arrius Antoninus, Asia Pro-Consul, Christianos, sponte tribunali se sistentes, re-

res restes & præcipitia eligere iussit, *ὦ δειλοὶ*, inquit, *εἰ θέλετε ἀποθνήσκειν, κρημνὰς ἢ βρόχους ἔχετε.* Tertullia libro ad Scapulam. Sed hic revera peccatur, si vel ex mandato iudicis, vel propria optione *ἀυτοφονία* prælegitur, & modo quocumque in proprium corpus servitur.

Object. (α) *Minus malum pro majori eligendum. E.*

Resp. neg. Minus malum morale præ majori malo poenali nequaquam licet eligere; quia nullo prætextu unquam peccare licet; & licet præcepta illa *ἀυτοχειρία* poena sit, tamen simul culpa est: poena est, quatenus sustinetur, culpa quatenus a se met infertur.

Object. (β) *Si licet magistratus occidere, cur non etiam tali vel tali modo, manu propria occidendi vel aliena?*

Resp. vitium committitur *ἑτεροζητήσεως*; non enim quaeritur, quid iudex possit, sed quid damnatus? neque, quid iudex aliquando jubeat, sed quid de jure jubere queat? At iudex non potest quocumque modo damnare; quia modus ille inusitatus nimis est crudelis. *Dominicus a Soto*

a Solo circa hanc quæstionem pro lubitu
ἀγῶν καὶ πάσχει, scilicet *negat idem posse simul agere & pati*. Verum illa ratio nulla est: quia (α) possibile est, idem esse agens & patiens, secundum aliam atque aliam partem; sic Saul incumbens in gladium, agens erat aptando gladium thoraci, patiens vere respectu vulneris. (β) *Ὅτις πρὸς ἑπὶ* dicit: hic enim quæritur, non de actionibus naturalibus, sed moralibus.

QVÆSTIO III.

An liceat semet occidere, ne quis cogatur (α) peccare; (β) ne fame sit pereundum; (γ) ne quis incidat in servitutem ignominiosam & perpetuam, v. g. Turcicam?

§. VIII.

Qvæstio sane scitu necessaria, ad cujus evolutionem nos quasi prehensa manu ducunt Moralistæ, præsertim vero cum honore nominatus D. Dannhæwærus: tres enim nominati casus & olim imposuerunt multis, & forte etiamnum imponunt. I. Quod ad *primum* attinet, *ne quis cogatur peccare*: tum plurima occur-

Occurrunt exempla martyrum in historia ecclesiastica. Narrat Eusebius lib. ix. cap. 12: de muliere quadam Antiochena ditissima & nobilissima, quod cum duabus filiabus in profluentem insiluerit, ne scilicet, quod metuebant, impuratorum libidini obsequi, & idolis offerre cogerentur. Idem auctor simile fere exemplum habet cap. m. 17. de muliere quadam Romana, eaque Christiana, Sophronia, quam Maxentius ad illicitum congressum sollicitaverat, quod ingressa cubiculum, gladio se ipsam interfecit. Sub persecutione Valeriani, trecenti martyres passi sunt, qui inter alia supplicia, cum praeses fornacem calcariam accendi jussisset, & in praesentia ejus prunas cum sulphure exhiberi, atque illis dixisset: eligite e duobus unum, aut sulphura super his carbonibus offerre jovi, aut in calcem demergimini: fide armati CHRISTUM DEI FILIUM confidentes, ictu rapidissimo se injecerunt in ignem, & inter vapores calcis in pulverem sunt redacti; ex quo candidatus ille beatorum exercitus massa candida meruit appellari. Verba sunt

sunt Martyrologii Romani ad diem xxiv. Augusti, citante Dn. D. Kortholt de persecut. Eccl. primitiv. De eadem massa candida ita canit Prudentius in hymno de passione Cypriani:

Profiluere alacres cursu rapido simul trecenti:

Gurgite pulvereo mersos liquor aridus voravit,

*Pracipitemque globum fundotenus impli-
capit imo,*

Corpora candor habet, candor vehit ad supera mentes.

Candida massa debinc dici meruit per omne seclum.

Imo memorant annales ecclesie, olim fuisse inter Christianos, qui multo avidius martyria gloriosis mortibus quasi verunt, quam nunc Episcopatus pravis ambitionibus appetuntur, verba sunt Sulpitii Severi lib. II. Vide Theodoret. lib. V. cap. 38. Euseb. lib. 7. cap. 9. De lamentabili Originis lapsu refert Epiphanius, quod, subornato a malitiei operatoribus Æthiope in corporis ejus abusum, ni sacrificasset, proclamarit, utrisque rebus sibi propositis, sacrificare se potius velle. Addit auctor:

auctor: non tamen spontanea mente hoc perfecit, velut magna de hoc fama refert. Vide Niceph. l. V. cap. 32. Exempla sunt fere innumera. Casus vero sic deciditur: In malis moralibus neque minus neque majus est eligendum. Si hæc, ait August. lib. I. de C. D. c. 23. esset justa causa, cur quis in ignem se conjiceret, tum nihil foret melius aut beatius, quam se statim post baptismum interimere, ne ad peccata relaberetur. Ea de causa monet B. Cyprianus Ep. 83. fratres: ne quisquam vestrum ultro se gentilibus offerat; apprehensus enim & traditus loqui debet, siquidem in vobis Dominus positus, ille hora loquatur, qui non confiteri magis voluit quam profiteri. Unde in actu passionis rogatus de presbyteris respondit proconsuli, non ipsi ultro se offerunt, cum id Scriptura S. prohibeat. Vide Origen. in Johann. c. xi. tom. xxxi. nec non Praeceptorem & antecessorem ejus Clement. Alexandrin. lib. iv. Strom. c. 5. Illam tamen martyrum *ὑποδουλία* non temere damnandam existimamus, quemadmodum nec facile dicendum, eam fuisse sine arsano DEi digito, & interna qua-

dam vocatione, qua alii destituti tormenta fugerunt. Vide B. D. Dannhaw. *Theol. Conscient. p. II. sect. II. dial. III. art. IV. qv. 16. Tantum de casu primo.*

§. IX.

Secundus casus est, *an liceat se occidere, ne cui fame sit pereundum?* Fingamus, inquit B. D. Dannhawerus, ad eam mendicitatem hominem esse redactum, ut unde vivat nihil omnino ei suppetat. Nobis autem per Finlandiam, opus prohdolor! non est, ejusmodi mendicitatem fingere, cum & citra fictionem plus quam frequens sit. Inejusmodi ergo casu, natura homini hoc dilemma quam facillime suggerit: *aut moriendum est fame, aut res aliena auferenda; aut proprecidio antevertenda anxietas inedia: Quodnam ergo cornu dilemmatis amplectendum?* (a) Hic Stoici iterum antiquum obtinent. Vide Senec. *Ep. xvii. §. xii. Epictet. dissert. I. c. 9: Sedetis, inquit, plorantes & solliciti, quid cras comesturi sitis? mancipium! si habueris, habebis, si non habueris, abibis: aperta est janua. Contrarium docet DOMINUS Matth. vi. (b) Scholastici concedunt rei alienæ ablationem, ex-*

nem, existimantes in extremo miseræ casu, jure primævo induci communitatem bonorum. *Potest homo in extrema constitutus necessitate, ea quæ aliis supersunt, sive manifeste, sive occulte accipere, absque alicujus furti aut rapinæ reatu,* inquit Thom. II. 2æ. qv. 66. a. 7. concl. In necessitate, ait idem, sunt omnia communia; & ita non videtur esse peccatum, si aliquis rem alterius accipiat propter necessitatem sibi factam communem. Vide Dominic. a Soto, Maldon. in Summ. q. 8. a. 3. Lessium, & alios. (γ) Nos circa hunc etiam casum, & a Stoicis & a Scholasticis dissentimus; certius enim est aliquem peccare semet ipsum occidendo, & rem alienam auferendo, quam in ediam sustinendo, arbitrio supremi rerum DOMINI se committere: nam patiendū quod prohibere non possit, criminis se nemo reddit affinem. Dannhauer. Quod autem dicunt Scholastici & ex illis Grotius lib. de Jure belli & pac. omnia jure primævo ac naturali esse communia; ad id paucis responderi potest. I. Posito, non tamen concessō, jure primævo ac naturali omnia fuisse communia; tamen post lapsū

plum & progressu temporis jure consensuq; gentium, mala κοινωκησιως advertentium, communitas illa & bonorum indifferentia est restricta ac determinata per eorundem partitionem. Quod cum ita sit, nihil est naturæ magis consentaneum, quam ut, ex quo principio aliquid coaluit, in id debeat resolvi. Ex jure gentium partitio bonorum nata est. E. illa non potest a privato quoquam, utut extrema inedia laborante, sed communi gentium consensu dissolvi. Nec est, quod hic præsumatur consensus tacitus; (*expressus enim in tali casu vix expectari potest*) quia neque *tacitus* consensus ibi præsumi vel concipi potest, ubi moralitati vis inferatur. Mitto jam id, *an origo, radix & fundamentum juris gentium sit universalis gentium consensus*, nec ne? quod haud facile asseritur, difficilius vero defenditur. Vide & D. Ohandr. in *Grot. p. m. 131. seqq.* (2) Falsa est hypothesis, *jure primævo omnia (non quædam) fuisse communia*: si enim jure naturæ omnia essent communia, tum distinctio dominiorum juri naturæ esset contraria & illicita; quod est *ἀλογον*. Animadversa igitur illa absurditate

surditate, sententiam suam Scholastici recentiores distinctione contemperant, dicendo omnia jure primævo fuisse communia *negative* tantum, quatenus nulli dum fuerunt *positive* & de facto assignata.

§. X.

Tertius casus est, *ne quis incidat in perpetuam & ignominiosam servitutem.* Sed neque hic propitidii causam agit, quin potius magnanimitatis est occasio, cujus officium est omnia, præsertim adversa, æquo animo ferre: Secundum illud Alciati embl. XXXVI.

Prospera non insent animum, non aspera frangant.

Utra cadat, neutra pars generosa cadat.

Nam: *Apparet virtus, arguiturque malis.* Ovid.

Sed forte *regeris*: E duobus malis minus esse eligendum; mortem præ servitute. *Respondeo* (a) E duobus malis naturalibus & pænalibus minus licet eligere; non de morali uno, naturali altero. (b) Servitus non est morte deterior; dicuntur enim *servi a servando*, Inst. de jure person: quia effecit olim clementia victo-

rum, ut quos jure belli poterant interficere, eos veris accensuerint. Præterquam quod nulla tam dura est servitus, quæ spem elabendi non suggerat: hinc Tibull. l. II. eleg. ult. *Spes etiam duro solatur compede victum: Crura sonant ferro, sed canit inter opus.* Vide B. D. Dannhæwerum, qui fere sic de hisce casibus.

QVÆSTIO IV.

Utrum Martyres vere sint fortes?

Aff. D.

§. XI.

Antequam accuratum de hac quæstione possit ferri judicium, necessum est, ut prius constet, I. quid *martyrium* dicatur? II: quinam proprie sint *martyres*, & quot illorum genera? III. quid de voce *fortitudinis* tenendum? I. *Martyrium* (inquit Thomas II. 2æ. qv. 124.) *fortitudinis actus est, summa perfectione præditus, quo tormenta quamvis gravia, atque mors ipsa, ad fidei veritatem testandam, aliarumque virtutum dignitatem tuendam, prompto præsentique animo suscipiuntur.* Et, ut idem stricim, ejusdem quæstionis art. I. concl. *Martyrium est actus*

actus virtutis, qua aliquis contra per-
sequentium impetus, firmiter in iustitia
& veritate permanet. Malumus tamen
 illam martyrii definitionem, quam B. D.
 Dannhaverus (ex Serrario, comment.
 c. xvi. Jud.) *auclav. moral. c. lv. qv. 9.*
 ptofert: Martyrium est (a) *voluntaria,*
 (β) *pia, (γ) maxima, morteque confirma-*
ta (δ) testificatio, de veritate maxima &
supernaturali, (ε) ob finem maximum,
gloriam scilicet DEI. In quam fere sic
 commentatur; (α) *Voluntaria;* volunta-
 te scilicet singulari DEi gratia ad tantum
 opus inclinata; absque hac enim si fue-
 rit, caro omnis est segnis & invita. Hu-
 jus requisiti intuitu, Spanhemius *Dub. E.*
vang. p. II. dubio 82. 83. 84. distingvit
 inter martyrium *passivum;* quod impro-
 prie martyrium est, cum sit citra inten-
 tionem patientis; & *activum,* quod pro-
 prie. (β) *Pia;* cum scilicet homo non
 patitur ut fur, ut homicidia, aut ἀλλο-
 τριου ἐπισημοῦ, vel temere, & extra ca-
 sum necessariae confessionis. (γ) *Maxi-*
ma; Major autem testificatio esse nequit,
 quam quæ morte est confirmata. (δ)
De veritate maxima: ethnicorum igitur
 pacien-

patientia martyrrium non est, quia non est testificatio de veritate coelesti, (s) *Ob finem maximum*; gloriam DEI; cui adheret *finis alius minus principalis*, incrementum ecclesiae: *Sanguis enim martyrum* (ait Tertullus in apologet.) *est semen ecclesiae*; quo plures demetimur, plures evadimus. Videatur Plin. secundus in epist. ad Trajanum.

§. XII.

Hinc facile liquet quinam proprie sint *martyres*, nempe qui *voluntarium piium, maximum, morteque confirmatum de veritate maxima & supernaturali, ob finem maximum* (gloriam DEI) *perhibent testimonium*. Pari etiam ratione ex hac descriptione constat, quod secundum B. Bernhardum *triplex* constitui possit *genus martyrum*; sc. illorum qui (α) *voluntate solum*; (β) qui *voluntate & opere*; (γ) qui *tantum opere* (vel eventu) sunt *martyres*. *Primo* sensu omnes vere pii sunt *martyres*; *secundo* illi, qui sanguinem CHRISTI causa alacriter fundunt; *tertio* loco censentur *infantes Bethleemiti-ci*, & alii quos inopina strages CHRISTI causa in tenera aetate, vel sine praevia deli-

deliberatione oppressit. Frustra etiam *Scholastici* anxie disputant, an usus liberi arbitrii infantibus illis miraculose fuerit acceleratus, ut voluntarie martyrium pati possent. Vide Thom. II. 2. qv. 124. a. 1. III. De voce *fortitudinis* id tenendum, quod illa dum martyribus, ut martyribus, aptatur, extenditur ultra significationem Aristotelicam; adeo ut alia sit fortitudo *Philosophica* Aristotelis, alia *Theologica* & eminentior, Martyrum.

S. XIII.

Jam quæstionis decisio *ànoviti*, quod ajunt, producitur. Martyres, præsertim *voluntate & opere*, qui martyrium subeunt & sustinent *activum*, vel proprie sic dictum, uti definitum est ex Dannhawero, fortes sunt, non æque fortitudine Aristotelica, quam eminentiori; quia *fortitudo* illa *philosophica*, quæ cadit etiam in ethnicos, est actus *rationis* deliberativus, habetque pro objecto malum fiduciale, quodammodo superabile, & viribus humanis proportionatum: est fortitudo martyrum superius ratione agnoscit principium; cum *ratio sibi relicta*, neque metiri possit *amorem* CHRISTI; qui
si sub

si *subjective* consideretur in martyribus, causa martyrii subeundi est *μενεμένη*; *objective* vero in CHRISTO, respectu martyrum est *μεγαλας πίης*: neque ratio novit *abnegationem sui ipsius* Matth. X. 28. 39. &c. neque *spem* habet futurae resurrectionis & gloria: quæ omnia excitularunt martyres ad subeundas passiones. De fortitudine hac philosophica intelligenda est sententia B. D. Dannhaweri, *auth. moral. c. IV. qu. 9.* ubi sic: *Ceterum etsi heroica & divina in martyribus est patientia, fortes tamen proprie (id est fortitudine philosophica) non sunt; quia 1. non versantur circa objectum fiduciale, vita civili proportionatum, 2. non ferunt, sed ferunt pericula.* Conferri jubet Walliseri disp. IV. Eth. D. Rudraufius in Institut. moralibus p. III. cap. 3. qu. 2. distinguendo quæstionem aggreditur, & quidem hunc in modum: *Fortitudo vel accipitur habitualiter, prout dicit habitum crebris actionibus acquisitum; vel accipitur actualiter, pro uno vel altero actu fortitudinis; priori modo non sunt fortes, sed posteriori: quod hoc argumento (inquit) probamus: Q. libera*

libera voluntate, destinato consilio, recta ratione, legi divinæ conformiter, animo constantissimo & intrepido, bonitate causæ confisi, in DEI gloriam, ecclesiæ commodum & proprium emolumentum, gravissima pericula & exquisitissima tormenta subeunt; illis certe nomen fortis non est denegandum: atqui martyres E. Hæc quidem optime, si de *fortitudine* eminentiori & *theologica* dicantur, ut revera dici existimamus; quemadmodum & ea ratione facilis fit inter Excell. D. Dannhæwerum & D. Rudrauffum conciliatio; cum *ille* neget martyres esse fortes, fortitudine *Aristotelica*, quæ in scholis ut plurimum obtinet; *hic* vero affirmet eosdem esse fortes, sed *fortitudine eminenti*. Nec enim vero simile est, D. Rudrauffum, virum eruditionis exquisitæ velle martyres esse fortes & intrepidus ex naturali *causæ* & *finis* passionum deliberatione ac notitia, sed ex illuminatione & robore SPIRITUS. Quis enim (inquit B. D. Wagnerus *Instit. hist. l. vii c. 9.*) divinum esse neget martyrum robur, quo eos ad contemnenda & perferenda exquisitissima tormenta incitatos, cum

Cum admirationis stupore legimus, ut in omni cruciatuum genere *ὡς ὑπερῶν ἄλλων*, eos ex Rom. VIII. 37. cum Apostolo dicere fas sit. Vid. Ebr. XI. quanta animi presentia & constantia inflata sibi supplicia tolerarint fideles sub Decio, ex epistola Cypriani IX. ad martyres & Confessores scripta, discere licet. Ubi etiam ita: *Quibus ergo vos laudibus predicem, fortissimi fratres? robur pectoris vestri & perseverantiam fidei quo praconio vocis ornem? Tolerastis usque ad consummationem gloriae durissimam questionem, nec cessistis suppliciiis, sed vobis potius supplicia cesserunt &c.* Idem in libro de lapsis num. II. *Non praescripta exilia, non destinata tormenta, non rei familiaris damna, non corporis supplicia terruerunt. Exploranda fidei praesiniebantur dies; sed qui seculo renunciaffe se mneinit, nullum seculi diem novit: nec tempora terrena jam computat, qui eternitatem de DEO sperat.* Quae fuerit Ignatii, Cypriani, Polycarpi, aliorum, fortitudo, Aristotelicam longe superans, loquuntur annales Ecclesiae.

Object. (a), *Actio martyrum (vel passio) est mixta, non vero spontanea. E.*

Resp.

Resp. Quamvis dici possit *mixta*, ratione motus primi deliberativi; est tamen *mere spontanea* de ultima electione, & jam deliberata; quia in illorum erat potestate, perseverare in fide, & ab eadem deficere.

QVÆST. V.

Licetne viro forti fugere? vel, potestne rogare hostem, ut jure belli se abstinenceatur? Aff.D.

§. XIV.

Quamvis non pauci sint, qui animos gerunt armis rigidiores, qui cum Atheniensibus adversis vulneribus quam aversis cadere malunt Just. l. ix. & qui cum Turno prostrati ad Æneæ genua negant se deprecari pro se: Verum illa rigiditas, ut cum laude conjuncta est, si spes aut fiducia aliqua affulget; ita dedecore maculata, si spes victoriæ nulla. Alia ergo est fuga *metus*, alia *consilii*: fugam *metus* adornavit Socias Plautinus, qui cum alii pugnabant maxime, ipse fugiebat maxime; Fugam *consilii* commendat exemplum Varronis Consulis apud Livium, cui Senatus gratias egit, quod re male ad Cannas gesta, fugere potius, quam una eum collega Paulo perire maluerit. Ita præstat a-

stat aliquando periculum mortis devitare, ac ad meliora patriæ tempora se reservare, quam temere vitam prostituere. Ratio hujus sententiæ, est, quia impossibile est potentiam aliquam agere sine objecto sibi debito; puta *visivam* sine colore, aut *olfactivam* sine odore; ita fortitudo non est, quæ circa proprium objectum non est occupata: illud autem est (a) terribile κατ' ἀνθρώπων, (β) fiduciale: at qui in pugna desperata (1) terribile est supra vires humanas; (2) nulla est fiducia emersionis; (3) quia ejusmodi pugna est imprudens ac temeraria: non enim pugnat ὡς θεῶν, ut recta ratio, anima virtutum præscribit. Hæc fere ita D. Dannhauer.

§. XV.

Non plane absimilis est quæstio, *An nauta, vel milites præsidarii, præsertim si publica auctoritate muniti sint, dum igne in pulverem tormentarium conjecto, se ipsos simul cum hostibus occidunt, sint ἀνθρώποι?* Dicit Franco Burgersdicius *epie. phil. moral. c. 14. d. 17.* tales inter ἀνθρώπους damnandos non esse, cum nulla appareat spes victoriæ, & patriæ, cui

cui militant, bonum potius spectent, quod in ruina hostium consistit, quam malum, quod in hostium potestatem venientibus perferendum foret. Eadem est sententia Amessii *de Cas. consc. l. V. c. 32. dist. 14.* Exemplo sint *Namantini* apud *Florum l. 11. c. 18.* *Saguntini* apud *Livium l. XXI. &c.* Nos existimamus, tales *vel* scire ac intueri presentissimum & inevitabilem interitum, *vel* non scire, quin potius concipere spem evadendi, ad minimum probabiliter: si *priu*, ἀνὸς φόβοι sunt, cum se servare possint, & tamen nolunt; neque propter publicæ autoritatis interventum ad propriam mortem licet cooperari: Sin *posterior*, pro ratione causæ & circumstantiarum excusari possunt, ut nonnulli sustinent.

§. XVI.

Quæritur etiam: *Utrum, qui artibus diabolicis vel narcoticis* (stuporem corpori inducentibus) ἀνααισθησίαν *membris suis conciliant, fortes sint appellandi?* *Ανααισθησίαν* duplicem statuit, fretus experientia hominum, B. D. Dannhaverus; *vel* (α) *cum* dolore, sine vulnere tamen; *vel* (β) *sine* dolore & vulnere simul. *Prioris* exemplum constituunt *saga*. Et *sine unguentis* (inquit D. O.

D. Osiander in *de Magia*) visi sunt magi a
 liiq; scelerati, certorum fiducia verborum,
 acerbissima tormenta indolenter sustinuisse
 ἀνδόν, quodam animi, sed τὸ δὲ Φύσιν,
 quo spiritus ligarentur, &, ne ad partes ex-
 cruciatas confluant, coercerentur, a dia-
 bolo obstupefacti. *Posterioris* exempla sunt
 nonnulli milites, qui se invulnerabiles fore
 credunt, si arma certo ritu incantent. *Prior*
 indolentia partim naturales habet causas,
 partim magicas & illicitas: *posterior* iti-
 dem indolentia diabolum habet auctorem.
 Nihil ergo minus sunt tales quam fortes.

SECTIO III. ἀξιωματική.

I. Viri fortis est 1. periculum temere non
 adire; 2. Constante se gerere; 3. Hone-
 statem respicere.

II. Qui seipsum vincit, est fortissimus. Prov.
 XVI. 32.

III. Fortis debet esse Christianus, præsertim
 in officio publico constitutus. Sir. x. 31. 32.

IV. Ἀπέχεσθαι καὶ ἀπέχεσθαι. hoc est, *sustine*
 & *abstine*.

V. Vir fortis in corpus suum non cavet:

Φύσει γὰρ ἀγαθὸν ἢ ζῶν. Arist.

I. IX. Eth. c. 9^a & I. II. de an. c. 4^a

CAP.

EPIGRAMMA,

200

Non minus natalium, quam ingenii fe-
licitate conspicuo Juveni,

DN. PETRO P. BERGIO, FINLANDO,
Discursum hunc moralem nervosè pu-
blice defendenti, sincerè congratu-
latur fidele pectus

CLAUDII HOLSTII.

Permultum pia Musa dolet, si sit fere
li BER,

Turpiter immeritis aditus: florentia
sed Ber G

R. itè colit nunc arva pius conamine
grand I,

USq; ad fata dabunt, maturos palmite
fruct US.

DHM

Dum nobilissimarum virtutum ingredi-
mur palladia, earum vivas imagines ta-
cita animi agitatione contemplaturi, statim
quidem jucunditatibus, amenitatibusq; suarum
flosculis nos excipiunt. Et in admirationem ra-
piunt, quarum quanta quanta cujusvis utili-
tas, non tamen fortitudini anteposenda, qua
nullum optabilius aegritudinum levamen, dolo-
rum remedium, imo ipsius mortis balsamum.
An quis virtutis patronus citari possit, cui
justitiae vigor, Prudentiae robur, Temperantiae
nobilissimus comes desit? An terribilia adire
audeat, qui vitae propugnaculum, periculorum
Et discriminum solatium neglexerit? Num ali-
quem virtutis fructum tulerit, penes quem
ceterarum virtutum condimentum desideratur,
quod nullus opinor confitebitur, nisi qui omnia
humanitatis ejuravit officia. Quapropter
lubens meritoq; Dn. Respondenti gratulor, dum
fortitudinem defendit, vixq; mihi tempero
quin dicam, tuos conatus divinitatis quid-
dam spirare; macte itaq; hac virtute esto, cum
Leonide mortem, cum Zenone dolorem, exilium
cum Camillo, hujusque Mundi divitias cum
Fabricio, pro charitate Patriae contemnere,
damnare, Et tanquam insana deridere!

CHRISTIERNUS A. LINELIUS.

Ad Juvenem.

Literarum pariter morumque laude
eximium,

DN. PETRUM P. BERGIUM
De FORTITUDINE solerter disse-
rentem,

GRATULATIO:

Summam esse virtutis elegantiam, summamque
præstantiam, satis declarant qui pulchritu-
dine ejus sunt condecorati, splendoreque ipsius
expoliti; Nihil sanè hominem magis commen-
dat, quam suavissimus virtutis amor, quem
qui animo confirmare student, nullà non lau-
de sunt dignissimi. Virtutis quoque insignem
esse utilitatem, satis experiuntur veri ac syn-
ceri ejusdem cultores. Virtus enim omnia in
se habet, omnibusque abundat commodis; So-
mnia adsunt bona, quem penes est Virtus. Inter
omnia autem virtutum generum, laude sua haud-
quaquam defraudanda est vera animi magni-
tudo, veraque fortitudo. Quid enim praecla-
rius, quam pro libertate patrie intrepide pu-
gnare? Quid excellentius, quam pro ejusdem
charitate, quæ omnium charitates comple-
ctitur, mortem (si ei sit profutura) oppetere?

NAM

Nam magnitudinis animi & fortitudinis proprium est, nihil extimescere, omnia humana despiciere, nihil quod homini accidere possit, intolerandum putare. Cum igitur summa sit non solum fortitudinis sed & virtutum omnium praestantia ac dignitas, optime sane faciunt, qui in honesti naturam investiganda nervas intendunt. Quod & te amice sincere, solerter fecisse, praesens satis testatur institutum; Cathedralam enim jam scandens, nervosam de Fortitudine disputationem masculè defendere tentas. Huic igitur praclaro proposito, fausta quavis adprecor, tibiq; egregios studiorum tuorum progressus ex animo gratulor. Proinde diligentiam tuam in praesens non commendo, cum ipse Temet Literarum nomine & sufficienti pignore commendatum bonis omnibus facias. Quod ut magis magisq; fiat, optat & vovet

Tuus

HENR. CL. ALANUS.

